10

DISPUTATIO MEDICA

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE JOANNE HAWKINS DIVIR.

Vix ullum valetudinis adversae genus meliore jure medicorum studium acerrimum sibi adsciscit, quam luctuosissimum illud, quod *Dysenteria* nominari solet. Neque minoris eorum, qui rei publicae praesunt, quam medicorum interest, ut malum tam exitiosum rite curetur. Haec enim pestis, bello exardente, plura militum et nautarum millia quotannis absumere solet: nec profecto legiones Britannicae, auspice illo illustri viro, Duce Vellingtoni nobilissimo, tanta gloria se decorassent, Gallisve expul-



sis et devictis, Lusitaniam et Hispaniam liberassent; nisi medici iis praepositi nova et meliori curatione hunc morbum instantem praecavissent, grassantemque levassent aut sustulissent.

Milites inter munera obeunda multis laboribus et aerumnis objecti, sub dio noctu dormire, imo vero saepe vigilare, et imbres, pruinas, frigora, ardores meridianos, roresque vespertinos subire soliti, prae aliis opportuni sunt, quos *Dysenteria* adoriatur. Quod si castra ponant sub Jove vario et humido, in agris palustribus, necdum desiccatis, nulla arte securi esse possunt, quin plus minusve ea plecterentur. Nec vero non affirmare licet, victum et vestitum idoneum, et alia istiusmodi, quae medici militares legionibus praeceperint, multa hominum millia salva praestitisse; qui, missis iisdem, periissent. Quatuor annos in Hispania et Gallia commoratus, legioni LXXIX^nae medicus secundus, morbum propositum quam felicissime curatum vidi: mihique, quoad vivam, semper cordi erit contemplari, quantum medici exercitui Britannico

praepositi patriae consuluerint, quantas miserias leniverint, quot viros fortes letho eripuerint.

Cullenus perceleber *Dysenteriam* Classi *Pyrexiae*, Ordini *Profluviae* subjectam, ita definivit: "Pyrexia contagiosa; dejectiones fre-
"quentes, mucosae, vel sanguinolentae, reten-
"tis plerumque faecibus alvinis; tormina; te-
"nesmus."

Haec definitio duplici macula non carere habetur. Quidam scilicet proponunt *pyrexiam* interdum deesse; quos si id non fefellit, illud certe convenit, perraro non subesse *pyrexiam*, ideoque Cullenum vix errasse. Alii porro *Dysenteria* necne sit pestilens, dubitarunt; de qua sane re medici in duas partes diducuntur. Nonnulli, nec parvi nominis, Culleni aemuli, morbum propositum nunquam non viro pestilente grassari et dispergi contendunt: alii autem eum aliunde proficisci credunt, nec contagem sibi praeferre, nisi *typhus* ei jungatur. Viri praeclari summaque fide dignandi utrique sententiae favent, necdum, ut opinor, usus aut

ratio partem alterutram penitus firmavit. Si, iis freto, quae usu didici, mihi adhuc juveni, quae sentiam, proponere liceat, inducor, qui opiner, *Dysenteriam* magna ex parte inflammationem membranae *mucosae* fistularum animae et urinae simulare. Membrana harum partium propria duplici de causa inflammari solet; nimirum, contage propria admota, et aliis irritamentis. *Catarrhus* enim modo frigore, modo contagio nascitur; et acria *urethrae* illata inflammationem accendunt, ei, quod ad notas, non absimilem, quae concubitu impuro oriunda *Gonorrhoea* nominatur. Idem de *Dysenteria* rite praedicari sentio; quae modo saevit pestilens citra *typhum* et per se. Quae libro a VILLISIO conscripto excerpta subjeci, aliqua luce hoc illustrare videntur *.

* "Vill. Pharm. Ration. Part I.—A. D. 1670 & 71. In una, sedes "aquosae, et quasi limpidae cum subita virium prostratione; in altera, "cruentae, attamen tolerabilis existunt. Anno 1670, circiter aequinoc-"tium autumnale, quam plurimi dysenteria incruenta virum atroci ad-"modum laborabant, affectus, et subito, et frequenter absque manifesta "occasione invadens, laborantes cum vomitu immani, et sedibus crebris "et aquosis, cito in maximam debilitatem, inque spiritum horrenda deli-"quia, et virium omnium prostrationes redigebat. Novi, inquit, plures "pridie satis sanos, et valde robustos, intra duodecim horas, morbi hujus

---

DE INDICIIS.

Hunc morbum mox futurum praesagiunt languor animorum et corporis, artus horrentes et rigentes, dein invicem exardentes. His accedunt febris notae, et dolor circa umbilicum torquens, manuque opprimente intentus. Dein supervenit crebra, imo vero pene assidua desidendi cupiditas, pituita tamen unice dejecta. Tormina crudelia vexant. Aeger cibum fastidit, et acceptum evomit; sapor malus os et fauces exasperat, vitiatis eorum humoribus. Cutis summa praeter naturam calet et aret; sitis impatibilis cruciat. Lingua sorde candida, interdum fusca, aut, ut videtur, biliosa, inquinatur. Febris alia atque alia subest, hujus mali comes:

" tyrannide adeo miserrime dejectos, ut cum pulsu debili et exili, sudore " frigido atque respiratione anhela et elata, jamjam moribundi, viderentur. " tur. In curatione, nulla evacuatio juvabit, quinimo phlebotomia, vo- " mitus, catharsis, nunquam non nocebant, verum remedia fere tantum " cardiaca, eaque calidissima."

interdum *synocha* ; alias *intermittentis*, *remittentis*, aut *typhi* specie donata. Quosdam *dysentericos* cognovi febre, vel ab ineunte morbo ad finem, prorsus vacare : qui caeteris signis ejus propriis torquerentur. His *Dysenteria* non multo postea fere *chronica* ; id est, pertinax et vetusta futura est, nec fato nec salute celeri finienda : mihimet inter milites in Hispania curandos febris plerisque ea aegrotantium ardens, sive *synocha* esse videbatur ; nec raro alvi fluxus primum omnium signorum extitit, praecipiti pede in *Dysenteriam* abiturus. Brevi accedunt tormina graviora ; et cupiditas inanis dejiciendi ingravescit : venter, manu vel leviter opprimente, insigniter dolet ; alvus crebrius descendit ; modo pituita excernitur sincera, modo cruore mista ; subinde strigmenta, carunculae aut naturae adipi consimiles. Stercus simul intus retinetur ; si quid autem redditur, durum et aegre prodit, ciboque crudo, parum scilicet concocto mistum. Interdum humor candidus dejicitur, *chylo* non absimilis. Alvo istis vacuefacta, dolor et febris mitescere solent : sub-

inde natura fibrata membranae aut *valvarum conniventium* forma instructa cum stercore emittitur. Venter non continenter acri dolore tentatur; at eidem homini modo hic acutus, modo hebetior adest; modo conquiescit, modo repetit. Nec omnibus dolet pars eadem: quibusdam ventris ima pars cruciatur; hi simul assiduis, at ineptis moliminibus dejicere nituntur*. Aliquando urina supprimitur, aut difficulter, parce, nec citra dolorem effluit. His malis ingravescentibus, vultus summum animi angorem denunciat. Arteriae inter haec crebro et fortiter saliunt; et, ubi *Dysenteria* pessima adest, dure, haud aliter atque nervus canorus intentus et tremens: qualis equidem arteriarum motus visceris cujusvis abdominis inflammati proprius est. Cui signa leniora contingunt, arteriae non nisi citius quam fert natura moventur. Dejectiones frequentes eo demum irritant, et actiones interiores turbant, ut vires graviter concidant. Alvus tandem descendit corrupta, foetida, liquida, et purulenta: cupiditas ista dejiciendi

* Vide Cleghorn on Diseases of Minorca, page 245.

dolentissima aegrum nunquam dimittit ; unde *prolapsus ani* nonnunquam exoritur. Dentes sorde crassa obfuscantur: lingua inarescit fusca; interdum insolito splendore nitet, arida simul. Eadem et fauces haud raro *aphthis* efflorescunt. Corpus summum ubique male olet. Venter tumentior manu oppressus magis dolet. Vultus expallescit uti cuivis exanimi. Arteriae languide, nec paribus intervallis micant. Spiritus crebrius, nec sine angore, trahitur et emittitur, singultu subinde interclusus. Summa cutis gelido sudat madore ; artus perfrigent, et aqua inter cute tument. Tot tantisque tandem aerumnis mors exoptanda finem imponit.

Nequaquam omnes eodem spatio temporis hac dira peste absumuntur : aliqui paucis diebus pereunt, gangraena accedente ; alii plures hebdomadas, imo vero menses, aegrotant ; serius cujus, intestino exulcerato, lentaque tabe et febre *hectica* conficiendi.

DE PROCLIVITATE.

QUAECUNQUE noxae vires animi corporisque conterere possint, homines huic morbo subeundo, admota causa excitante, parant: vel, ut alias loquar, haec imbecillum facilius quam validum corpus *Dysenteria* implicat. Quo fit ut ii, qui nuper febricitaverint, necdum valetudinem integram receperint, persaepe in eam incidant. Huc pertinent labor gravis, membra aut animus fatigatus, motus animi sedaturi, imo vero incitaturi, si diutius exagitent; et ebrietas aut satietas. Quo aliquis jam saepius eadem aegrotaverit, eo facilius, eoque leviori adhibita causa, relabitur. Eodem referenda videntur jecinoris, lienis, *pancreatis*, aut glandium *mesenterii* vitia, exinanitiones magnae, et actio ventriculi atque intestini imbecilla aut turbata. Aqua impura epota, qualem nempe stagna praebent, cibus parcior, putrescens aut parum saluber, concoctuque dif-

ficilis, corpus atra bile imbutum, et coelum sole torrido aestuosum, quale Indiae alterutrius est, corpora procliviora ad morbum propositum reddunt: nec dubium, quin aliqua horum excitent.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Jam supra notavi, omnes non idem sentire de causis excitantibus, maximeque disputari inter medicos contage necne hic morbus disseminetur. In animo est alias quasdam noxas memorare, quae eum inferre existimantur. Coelum ex improviso e sicco et ardente humidum et frigidum, corpus frigori roribusque nocturnis objectum, halitus, quem spirat cutis, suppressus, huc optimo jure, ut opinor, pertinere habentur. Saepenumero milites in *Dysenteriam* pessimam incidunt, ubi, jam acerbis laboribus fessi, imbribus et Jovi frigido patent. Joannes Pringelius Eques ita loquitur: "The army marched all "night, and fought next morning at Dettingen.

" On the night following, the men lay on the " field of battle without tents, exposed to a " heavy rain, and for a few nights after they " wanted straw." Then he adds, " By these " accidents a sudden change in the health of " the army took place. 500 were seized with " Dysentery."

De auris paludum malis, quae *miasma* nominari solent, non silere oportet. Medicus praeclarus jam relatus has habuit creberrimae et valentissimae causae excitanti; quippe quae unica fere hoc morbo milites in Germania implicare ei videretur. Quotidiano sane usu docemur, legiones, quae in agro palustri castra ponunt, ubi ardores meridiani et frigora nocturna invicem auras malignas in sublime ferunt et densant, exitiosissima hac peste debellari; virosque fortes, hostibus infestissimos, facile succumbere, tot malis oppressos. Inter officia apud Lusitanos exequenda, meum erat notare eos qui agrum *Abrantianum* incoluerint, hujus morbi fere immunes extitisse; eos vero, qui ri-

pam alteram fluminis Tagi accoluerint crudeliter eo esse plexos: quibus scilicet natura solum palustre, coelum torridum, rores et algores nocturnos dederit. Judicare igitur licet hic duplicem noxam moliri; scilicet auram paludibus ortam, et coeli rationem malam, sudori supprimendo habilem: quinetiam, hanc illam fovere et intendere.

Quaecunque alimenti fistulam exasperant, qualia sunt fel vitiosum, acor, alvus pigra, huic malo favent. Gregorius inter praelegendum meminit, cuidam *choleram* idem intulisse. Neque, si fel acrius et superfluens causae sit habendum, dictu erit difficile, cur autumno saeviat *Dysenteria*. Fructus aciduli largius ingesti huc quoque spectant; quamvis Zimmermannus et Pringelius hanc causam abjecerint. Illud certe praedicabo, complures, qui febricitaverant, jam convalescentes, me curante, protinus in morbum propositum incidisse, uvis avide voratis; alios vero in eodem conclavi cubantes, fructu non accepto, integros perstitisse.

Nullus dubitare possum, quin virus pestilens, et sui generis, recensendum sit inter noxas genetrices. Hoc vero, si quidem sensus latet, nec videndum, nec tactu aut olfactu deprehendendum, quid aut quale sit, minus constat: aliis a dejectionibus provenire, aliis per cutem, aut pulmonem spirari videtur. Diris effectibus satis cognoscitur: quibus unicis nixi existere credimus; haud secus atque animam, vim propriam musculorum, &c. eo esse putamus, quod eorum opera et molimina perspicimus. Verisimile est cibum acrem, durum, concoctu difficilem, caseum, salsamenta, et alia ejusmodi, operam ad *Dysenteriam* inferendam et acuendam conferre.

DE CAUSA CONTINENTE.

Qua causa contineatur morbus, de quo agitur, scilicet quae causa eum "sublata tollat, mutata mutet," minus lucide patet. Cullenus hanc esse *spasmum* fibrarum motricium intesti-

ni crassi, et praesertim *coli* existimat. Pringelio videtur naturam putrem et malignam huc delatam inflammationem movere: hanc vero saepe in gangraenam ruere. Hartius opinatur *Dysenteriam* inflammatione membranae internae *mucosae* dictae, contineri; et actionem abnormem et incitatam hanc progignere. In cujus equidem verba ut jurem, valde inducor: et notis omnibus in animo habitis, cum quae, aegro adhuc spirante, tum etiam quae cadavere secto, patefiant, vix dubium est, quin inflammetur membrana intima. Denique, scire licet hanc inflammationem tanto irritamento fieri, ut postea *spasmus* ei accedat.

DE DIAGNOSI.

Signa, quae malum, quod prosequor, denuntiant, tam fere propria, evidentia, et sui generis sunt, ut vix aliquis artis medendi paulo peritior alios morbos cum eo confundere et miscere pos-

sit. Aliquando autem jam iniens *Diarrhoeae* speciem sibi praefert. His vero notis invicem dignosci poterit. Utriusque commune est, ut alvus crebro descendat. Quem autem *Diarrhoea* tentat, ei stercus excernitur, solito equidem liquidius; quem vero *Dysenteria*, cruor, pituita, strigmentum. Huic tormina et cupiditas dejiciendi molestissima longe plus cruciant: quinetiam, illi desunt febris et virus pestilens. Huic si stercus emittitur, durissimum est, perexiguum, et gravi dolore exit.

Cholera.—Vomitus et dejectiones biliosae, febris nulla, surae *spasmo* rigentes, et salus aut mors cita, satis superque *Choleram* ab hoc morbo discernunt.

Haemorrhoïs.—Sanguis ab imo intestino profusus facit, ut *Haemorrhoïs Dysenteriam* simulet. Illi tamen dejectiones, quales fert natura, dolor ani et lumborum, tubercula livida circa anum, et aliae notae satis clarae contingunt; quae huic omnes deficiunt.

Colica.—Qui *Colica* laborat, ei alvus pertinacissima esse solet, febris deest, dolor ventris, manu opprimente mitescit. Quibus indiciis perpensis, dubitare et hallucinari non licebit.

Enteritis erythemodea.—Si quis dubitet *Dysenteria* an *Enteritis erythemoidea* subesset, has notas observare oportet. Dolor ventris huic acutus et quasi urens torquet: ventriculus perquam irritabilis ingesta omnia extemplo respuit: pulsus arteriarum exiles sunt et duri: deest cupiditas desidendi frequens; et notae omnes illico superveniunt.

DE PROGNOSI.

Quo rite de eventu futuro judicemus, notare oportebit loci, coeli et tempestatis rationem; quamdiu homo jam aegrotaverit; quae sit aetas, quae vires, quae corporis proprietas; qualem vitam aeger secutus fuerit; qualia signa plec-

tant, acerba an lenia. Si robur nondum vehementer conciderit; si aeger juventa floreat, et medicina tempestive morbo obstare coeperit; si porro curatio idonea dejectiones rariores et meliores fecerit; si tormina, dolores et febris consopiantur et leventur; si summa cutis madore tepido ubique aequaliter humet; arteriae molliter, tardius, nec languide saliant; si homo noctu dormit, cibosque rite appetit, nec venter prorsus acute dolet; salvum eum futurum putamus.

Si *Dysenteria* febri intermittenti superveniat, haeve vicissim occupent; sive jecur aut lien aut *pancreas*, aut haec omnia simul, vitientur, salus difficilior, auguriumque pejus. Si infantes, mulieres, senes, aut morbis prioribus aliundeve fracti aegrotent; si febris etiam remittentis, aut *typhi* speciem induit; si tormina crudelia perstant, et dejiciendi cupiditas; si anus prolabitur, vultus pallet, et angorem exhibet; si aqua intercute artus tument, dejectiones purulentae, graveolentes, aut acres sunt; cruorve

coactus et foetidus descendit; si lingua fusca et arida est; arteriae micant inaequaliter, exiliter, nec paribus intervallis; si dolor repente quiescit; si cutis sudore gelido diffluit; stercus et urina animi injussu elabuntur; si miser assidue singultit; corpus male olet, artus perfrigent: constat mortem in propinquo esse, non evitandam.

DE SIGNORUM RATIONE.

Iis freti, quae supra proposuimus, non difficulter signorum rationem reddere poterimus. Cum membrana intestini intima inflammatur, plus quam ex consuetudine secernit, et acria intus retenta pituita secreta miscentur. Hinc motus abnormes, tormina et dolor nascuntur. Inflammationi *spasmus* accedit: hinc, *colo* coarctato, stercus retinetur, et ejus parte tenuiori resorpta indurescit. Natura graves et fere inanes edit nisus ad hoc ejiciendum; unde, praeter alias notas, anus aliquando prolabitur. Moli-

mina ista, coarctatio intestini, et stercus durum, faciunt, ut vasis membranae intimae diruptis, dejiciatur sanguis ipse; nec aliunde proficiscuntur, morbo inveterato, dejectiones purulentae et cruentae. Naturae membranae consimiles, quas auctores toties descripserunt, e pituita coacta constare videntur; quae ideo fistulae formam sibi adsciscit: et unde nonnulli senserunt membranam intimam ipsam dilaceratam potius excerni. Hanc interdum profecto dejici credo; cujus excretae Monro tertius exemplar luculentum ejus alumnis exhibere consuevit. Hanc partem membranae intimae dejectam medicus eximius Donaldus Monro cum nostro professore communicavit. Urinae difficultas, quae aliquando exercet, imo vero urina suppressa, aut stercore duro cervicem vesicae opprimente, aut hujus fibris *spasmo* strictis, aut inflammatione huc pertinente, gignitur.

QUAE, CORPORIBUS SECTIS, PATEANT.

Quae mortui cadavere inciso observantur, quam gravissimi sunt momenti, et cognitu digmissima. Intestina, *colon* et *rectum* crassiora reperiuntur et exulcerata. Semel eam partem quae *flexura sigmoidea* vocatur, crassissimam inveni; spongiosam quasi factam, et exulceratione penitus exesam. Hic illic intestina pure inquinantur, et nonnunquam ulceribus exiguis, granatisque, roduntur. Non raro notae inflammationis late patent, et passim maculae lividae, gangraenae scilicet indicia, videntur. Modo intestina et *peritonaeum* cohaerent; glandes *mesenterii* subinde vitiantur; jecur fere grandius induruisse observatur; aliquando moles ejus imminuitur; colore porro variat, qui saepius tamen saturior est: non raro hoc viscus partibus vicinis haeret. Lien plerisque amplia-

tur; qui tamen uni aegro, Davidson, ovo gallinae minor erat. Eidem jecur amplificatum contigit, et *pancreas*. Raro meum fuit *intussusceptionem* videre. Capsula fellis bile atriore et viscide superfluere consuevit.

DE MEDENDI RATIONE.

Dysentericis semper cubandum, si fieri possit. Tepidarium admodum juvabit; si res id non sinant, venter et artus inferiores aqua tepida aut panno laneo hac madefacto, fovendi. Corpus laneo vestitu obtegendum. Victus e materia tenuissima esse debet, et potus diluti libere bibendi. Alvus liquore glutinoso et mulcente ducenda, quo acria eluantur, et stercus durum emolliatur.

Sanguinis detractio.—Ubi tormina acerba continenter urgent, venter perquam dolet, arteriae dure et fortiter moventur, nec labuntur vires,

sanguis, vena percussa, mittendus; quo debelletur inflammatio, praecipiti pede in gangraenam abitura. Hoc remedio saepius aut rarius utendum, prout edoceant ratio notarum, roboris, aetatis, et quae sunt similia. Quod si signa minus graviter plectant, venas ferire non opus est. Raro enim licet hunc morbum, uti alias inflammationes, ineuntem protinus, mittendo sanguine, discutere: aliis igitur innitendum.

Alvi purgantia.—Convenit inter omnes, alvum esse expurgandam; nulla spes affulgere coepit, nisi intestinis jam probe vacuefactis. Non igitur considerandum quoties jam alvus descenderit, sed quid dejectum fuerit, et quales notae aliae subessent. Si enim tormina non mitigantur, nec stercus exierit, quotiescunque homo desiderit, alvus medicamentis adhuc solicitanda. Si jam sales medii ingesti fuerint, veluti *Phosphas Sodae, Sulphas Magnesiae*, et alii, nec succurrerunt, *Submurias Hydrargyri, Jalappam*, et *Rheum Palmatum* adjicere decet. Nec vero medicamina acriora juvabunt; metuendum

enim ne inflammationem acuant. Iteranda tamen medicamina jam relata; nec omittendum *Oleum Ricini Communis.* Scire licet, ni alvum rite depleamus, mala permansura; quibuscunque aliis auxiliis utamur, et superventuram *Dysenteriam Chronicam*, non nisi *hydrargyro* concesso medicabilem; quod ipsum remedium quoque valetudinem insigniter concutiet.

De sudoris moventibus.—Intestinis demum exinanitis, *Pulvis Ipecacuanhae cum Opio Aquae Acetitis Ammoniae* adjectus valde proderit; tormina enim consopiet, spasmum solvet, et sudorem benignum eliciet. Sudor jam ortus horas sex vel octo promovendus, opio equidem omisso, sed epoto; aliquo liquore tepido mitique; et corpore stragulis multis operto.

Hydrargyrus.—Quoties auxilia jam dicta non signa sustulerint, nec jam licet, aut opus esse videtur amplius venas deplere, *Submurias Hydrargyri* caeteris remediis longe praepollere videtur. Non ab eo abstinendum, eo quod *Dy-*

senteria nondum *Chronica* accesserit. Saepe enim ab hac incipiente, felicissimo eventu ministratum est. Hoc metallum actione sui generis proficere videtur; et frequenter valde auxiliatur, ubi nec sudorem nec dejectionem moverit. Vi pollere videtur discutiendi; raro enim *Scirrhus* aut *Hydrops Dysenteriae* supervenit, hoc remedio adhibito; nec male dicitur naturae medicatrici ancillari; scilicet vitia *organica* inflammatione exorta praecavere aut tollere; quod natura ipsa per se non penitus efficere potest. Quomodo molitur, minus constat; conjicio sane, membranas *mucosas* proprie ab hoc metallo affici; scilicet ad actionem novam inflammationi inimicam et contrariam incitari. Hoc de nullo alio remedio praedicari potest. Dare solebam initio grana decem vel quinque Submuriatis Hydrargyri, dein tertia vel quarta quaque hora, duo ingessi, dum signa debellaverit. Hic bonus eventus tertio, quartove die fere accidit; quando sensim, copia imminuta, tandem prorsus omisi. Si *Hydrargyrus* os solito modo affecerit, intermittere consuevi: saepe autem, ore et glandibus

salivae secernentibus integerrimis, sanitatem reduxit. Dein causas evitari, corticem *Cinchonae Officinalis* dari, et cibum satis aliturum sumi, e farre praecipue confectum, jussi; quibus servatis, morbus vix unquam recidit. Nullus inter septuaginta aegros ita curatos emortuus est. Medicamentum, quod prosequor, nunquam non admodum adjuvit, saeviente *Dysenteria Chronica*, necdum exulcerato intestino. Ubi vero huc ventum est, in praecipiti aeger versatur; et medici est alvi fluxum et alias notas *Opio*, *Extracti Mimosae Catechu* Kinoque, cohibere. *Opium amylo* et aqua tepida mistum bene per alvum infunditur. Spes vero nulla superest; nec praecepta perpetua curationem regunt: illud vero constat, summa ope singulas notarum malarum consopiendas esse. Si febris intermittens aut remittens comitetur, cortice *Cinchonae Officinalis* utendum, alvo prius rite vacuefacta.

Exulcerantia.—Dolore et aliis malis exardentibus, si virium ratio venas incidi non permittit, emplastrum *Meloës Vesicatorii* ventri im-

ponendum; amplum exiguo praestare videtur. Verisimile est hirudines quoque profuturas.

Alvi ductio.—Alvum ducere, infusis liquoribus mulcendo idoneis, morbo jam ineunte, utilissimum est. Si dejiciendi cupiditas perquam affligit, malis caeteris sedatis, infundenda erit per alvum aqua tepida *amylo* et *opio* imbuta. Si intestinum *rectum* inflammatur, *opii* concreti grana tria aut quinque in idem injicere haud alienum erit. Denique scire licet, *Hyoscyamum nigrum*, vel signis vehementer saevientibus, tuto ingeri; quippe quae herba dolorem sedat, nec vero, ut *opium*, alvum tardat, calefacit, aut cor et arterias incitat.

FINIS.